



473

Christianis ablata est, et foeminis facti sunt debiliores. Horribili siquidem refertur infamia, quomodo quidam Christianus septa ecclesiae Bethlehemitanae gloriosissimae Virginis Mariae, quae castitatis mater, pudoris aula, munditiae vas, constituit lupanar in genitricis Dei opprobrium. Abominor quidem casum referre, sed loci ipsius flenda propter hoc desolatio et miseranda despectio non sinit me silere. Fuit namque in illis diebus quidam Christianus, qui amore polluto quandam Sarracenam adamavit, et eam instanter cottidie ad consensum suum sollicitavit, et ipsa constanter restitit et fugit. Quadam die dum eam importunius molestaret, objecit ei mulier nomen Christi et christianae religionis munditiam, quam ille parvipendit, et crimen non esse adeo grave sicut fama dixit. Porro foemina illa probitatem Christianorum in multis notaverat, et mirabatur de sua sollicitatione, et ducta curiositate experiri voluit, si quaedam virtus esset in illo Christiano et timor Dei, et quadam vice dixit ei: ecce, tua importunitate victa sum et tibi consentio, sed non succumbam tibi, nisi in ecclesia S. Mariae in Bethlehem. Hanc conditionem libenter acceptavit, et hora constituta convenerunt in ecclesia, solus cum sola. Cumque mulier videret, quod de ecclesia sibi cura non esset, ut in ea contineret sibi, dixit, hic tibi non parebo, eamus in specum nativitatis Dei tui, ibi est obscurum et secretum; qui statim cum muliere descendit, et posuit se mulier super praesepe Domini, sedens; quam cum ille infestaret, surrexit mulier, et sessum accepit super lapidem in loco sanctissimae nativitatis Domini et Christiano dixit: ecce Christiane, hic Deus tuus de Virgine natus est, si potes hic mecum cubare, **(B)** accede huc. Ille vero desperatus et execratus intrepide accessit nihil de loco curans. Quod cernens mulier facinus abhorruit, et Christianum illum indignata a se rejecit; vade, inquit, scelestissime Christiane, et scias, nefas hoc nequaquam impunitum transire. Et hoc dicto aufugit mulier, et primo Bethlehem ingressa cum clamoribus et fletu sibi facta cunctis recitavit, Christianis impropersans et Sarracenos ad ulciscendum animans et inducens. Et ex hoc facta fuit mulier illa quasi prophetissa inter Sarracenos, praedicens eis, nullam esse amplius virtutem in Christianis, et

488

486

492

482

497

477

437

387

Ende

Anfang